



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

Caput XI. Bonorum cujuscunque Ecclesiæ, aut pii loci occupatores  
puniuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI.

A.C. 1562.

cujus ejusmodi potestatem exercere possent in Laicos Notarios a Principi-  
bus, & Rege electos.

## CAPUT XI.

*Bonorum cujuscunque Ecclesiae, aut pii loci  
occupatores puniuntur.*

Si quem Clericorum vel Laicorum,  
,,quacunque is dignitate, etiam  
,,imperiali, aut regali præfulgeat, in  
,,tantum omnium malorum radix cu-  
,,piditas occupaverit, ut alicujus Eccle-  
,,siæ, seu cujusvis sæcularis aut regu-  
,,laris beneficii, montium pietatis, alio-  
,,rumque piorum locorum, jurisdictione-  
,,nes, bona, census, ac jura, etiam feu-  
,,dalia & emphyteutica, fructus, emo-  
,,lumenta, seu quascunque obventio-  
,,nes, quæ in ministrorum, ac pauperum  
„necessitates converti debent, per se vel  
„per alios, vi vel timore incusso, seu  
„etiam per suppositas personas Cleri-  
„corum, aut Laicorum, seu quacunque  
„arte, aut quoctunque quæsito colore,  
„in proprios usus convertere, illosque  
„usurpare præsumperit, seu impedire,  
„ne ab iis, ad quos jure pertinent, per-  
„cipiantur, is anathemati tamdiu sub-  
„jjaceat, quamdiu jurisdictiones, bona,  
„res, jura, fructus, & redditus, quos  
„occupaverit, vel qui ad eum quomodo-  
„docunque, etiam ex donatione suppo-

. III. litæ



Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

„sitæ personæ, pervenerint, Ecclesiæ  
 „eiusque administratori, five beneficia-  
 „to, integre restituerit, ac deinde a Ro-  
 „mano Pontifice absolutionem obtainue-  
 „rit. Quodsi ejusdem Ecclesiæ patro-  
 „natus fuerit, etiam jure patronatus,  
 „ultra prædictas pœnas, eo ipso priva-  
 „tus existat: Clericus vero, qui nefar-  
 „dæ fraudis, & usurpationis hujusmodi  
 „fabricator seu contentiens fuerit, ei-  
 „dem pœnis subjaceat, necnon quibus-  
 „cunque beneficiis privatus sit, & ad  
 „quæcunqne alia beneficia inhabilis ef-  
 „ficiatur, & a suorum Ordinum execu-  
 „tione, etiam post integrum satisfa-  
 „ctionem, & absolutionem arbitrio sui  
 „Ordinarii suspendatur.

Cum Tridenti, prout narravimus,  
 diu fuisse dubitatum, utrum Germanis,  
 ac Gallis potentibus communio sub-  
 utraque specie esset concedenda, pro-  
 posita spe, quod Lutherani, ac Calvinistæ  
 eo facilius ad Ecclesiam revocan-  
 di forent: tandem Synodus omnino ex-  
 gravissimis rationibus consultum cense-  
 bat, hanc rem ad Pontificem remit-  
 tere, ut ille eam juxta prudentiam  
 suam decidat: itaque sequens additum  
 est Decretum.

§. LXVIII.

